

Johann Heinrich Seelen von

Ecloga Archaeologica De Dea Pace

Lvbecae: Operis laegerianis, A. MDCCXVIII


<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1868817180>


Druck Freier  Zugang





K. p. - 395 (10)
N. p. - 395 (10.)





Q. F. F. Q. S.

ECLOGA ARCHAEOLOGICA

DE

DEA PACE,

QVA

DOMINOS, MAECE-
NATES, PATRONOS ET FAV-

TORES MUSARVM NOSTRARVM

AD BENIGNE AVDIENDAM

ORATIONEM SOLEMNEM

DE PACE INTER

CAROLVM VI

IMPERATOREM AVGVSTVM ET

TVRCARVM IMPERATOREM

NVPER CONCILIATA,

QVAE D. XXVII OCTOBR. HLQC HABEBITVR,

OFFICIOSISSIME HVMANISSIMEQVE INVITAT

IO. HENR. VON SEELEN

RECTOR

LVBECAE

OPERIS LAEGERIANIS. A. M DCC XVIII.

9.



Malignum spiritum eiusque se-
 ctatores esse DEI cultorumque eius si-
 mios, inde quoque patet, quod, sicut ve-
 ri DEI amici colunt suum שר-שלום
Principem pacis Es. IX. 6, CHRISTVM,
 de quo non sine maxima laetitia dice-
 re possunt: *αυτος εστιν η ερηνη ημων*
 Ephes. II. 14, ita impuri spiritus man-
 cipia DEAM PACEM venerentur. An etiam DE-
 VM PACEM implorarint & religioso cultu profecuti
 sint, non audeo quidem plane negare, licet persuasus sim,
 tantam testimoniorum illud probantium copiam non adesse,
 quantam nonnulli existimant posse afferri. Etenim loca
 multa, quae istud confirmare debent, sunt ita comparata, vt in
 iis non accusatiuus, sed genitiuus Deum pro Deorum positus es-
 se videatur. Sic quando Plautus in Poenul. Act. I. scen. I. dicit:
Sunt hic omnia, quae ad DEVM PACEM oportet adesse, recte
 meo iudicio Dionys. Lambinus verba: *ad Deum pacem expo-*
nit: ad Deos placandos, ad Deorum beneuolentiam impetrandam.
 Idem simili modo bene interpretatur verba Lucretii de Rer.
 Nat. p. m. 707:

Non DIVVM PACEM voris adit - -

In primis prouocari solet ad testimonia Liuii, collecta à Barn.
 Briffonio in Lib. de Formul. & solemnib. pop. Rom. verbis p.
 si seq, in quibus tamen omnibus PACEM DEVM accipere pos-
 sumus pro pace Deorum ope conciliata. Solus iste locus L. VII.
 occurrens: *Hoslinque caesa, PACEM DEVM adorasset,* videtur senten-
 tia, qua DEVS PAX asseritur, fauere. Nolo itaque iis contra-
 dicere, qui DEVM PACEM asserunt. Nam possunt se tueri aliis
 Numinum exemplis, quibus vtrumque sexum veteres attribue-
 runt. Imo vero, teste Seruio ad Virgilii Aeneid. L. VI. p. m. 417.
 edit.

edit. Daniel. omnes Dii sunt ἀρσενοθηλεῖς i. e. sexus vtriusque. Illustre exemplum est Lunae, de qua Orpheus in Hymnis p. m. 503. in Corp. Poetar. Graecor. Lect. canit:

Αυξομένη κ̄ λειπομένη, θῆλύς τε κ̄ ἀρσεν
Aucta & deficiens, femina & mas.

Imo non solum Dea Luna, sed etiam Deus Lunus occurrit, quod, praeter alia, confirmant lepida haec verba Aelii Spartiani in Vita Antonini Caracalli p. m. 88 in Historiae Augustae Scriptoribus VI a Salmasio editis: Quoniam Dei Luni fecimus mentionem, sciendum, doctis simis quibusque id memoriae traditum, atque ita nunc quoque a Carrenis praecipue haberi, ut qui Lunam femineo nomine ac sexu putauerit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inseruiat: at vero qui marem Deum esse crediderit, is dominetur uxori neque vllas mulieres patiatur insidias. Vnde quamuis Graeci vel Aegyptii eo genere, quo feminam hominem, etiam Lunam Deam dicant, mystice tamen Deum ducunt. Conf. Salmasius in Nott. ad h. l. p. m. 164. Schedius de Diis German. p. 135 sq. Huc referri possunt (nisi forte aequiuocatione laborant) Inscriptiones hae, quae leguntur inter Inscriptiones Urbium Hispanicarum in edit. lul. Caesaris, quam adornauit Iacobus Strada Francof. ad Moen. 1575. f. Prima occurrit p. 145:

DEO TVTE
LAE AEMI
LIVS SEVE
RIANVS
MIMOGRA
PHVS POSVIT

Altera offenditur p. 167:

DEO TVTELAE GENIO
MENTES

Sed redeamus ad PACEM, quae, si Mythologos audimus, Iouis filia est ex Themide suscepta, & Horis annumerata. Rem enarrat Phurnutus de Nat. Deor. c. 29 p. m. 213 in Opusc. Mytholog. Phyc. & Ethic. a Galeo editis: Εκ θεμίδος ὁ Ζεὺς λέγεται γεννησθαι τὰς Πάρας, ὑφ' αὐτὰ ἀγαθὰ πάντα ἐν ἡμῖν ἐρέγεται κ̄ φυλάττειται. καλεῖται δὲ αὐτῶν ἡ μὲν Εὐνομία, ἀπὸ τῆ ἐπιβάλλουσας τῆς διανομήσεως. ἡ δὲ Δίκη, ἀπὸ τοῦ δίχα χωρίζειν ἀπ' ἀλλήλων τὰς

) (2

δια-

διαφερομένως, ἢ δὲ Εἰρήνη, ἀπὸ τοῦ διὰ λόγου, καὶ οὐ δι' ὀπλων διακρίνεσθαι ποιεῖν. H. c. Ex Themide Iupiter dicitur genuisse Horas, a quibus bona omnia nobis dantur & conseruantur. Vocatur autem harum vna Eunomia a distributione eius, quod nobis accidit. Altera Ius, a dirimendo lites contendentium. Tertia Pax, a diiudicando facta per rationem, non per arma. Consentit Orpheus hymnum de Horis p. m. 511 his versibus auspicatus:

Ὀρας θυγατέρες Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἀνακτοῦ,

Ευνομίη τε Δίκη τε καὶ Εἰρήνη πολύαλβε.

Fabulae huius sensus moralis facile potest dari. Etenim Pax a summo Deo (quem esse Iouem gentes existimabant) proficiscatur & Iustitiam fundamenti loco habeat necesse est, si vera & legitima pax esse debet. Rationem etiam oportet adesse & per multa regere, quod intellexerunt veteres, qui ideo Pacem etiam RATIONEM vocarunt. Εκάλου, inquit Phurnutus l. c. τὸν λόγον εἰρήνην. Huc pertinet denominatio Mercurii laetum de Pace nuntium hominibus a Diis afferentis, qua Orpheus p. m. 508 eum alloquitur: λόγου θνητοῖσι προφῆτα. Aristophanes in Comoedia Pax inscripta p. m. 493 ap. Lectium in Corp. Poetar. Graecor. Pacem vocat Λυσιμάχην (α λύω soluo & μάχη bellum), quam vocem Septimius Florens per Belliuam est interpretatus. Dicitur alias Pax quoque interdum PANDA, quam Deam Arnobius quidem ap. Vossium de Orig. & Progress. Idolatr. p. m. 186 dictam putat, quod Tito Tatio, Capitolinum vt caperet collem, viam pandere atque aperire permissum esset: nonnulli praeterea existimant esse Cererem, quia illa panem dat, quae tamen deriuatio Pandae ingeniosa magis quam vera habenda est, praesertim cum a Varrone in Satyra Menippea, Σιαμαχία dicta, Panda a Cerere distinguatur. Verba Satyrae extant ap. Aul. Gellium in Noct. Attic. L. XIII. c. 21, vbi quod male ab Ascensio legatur Pranda, iam obseruauit Vossius l. c. Addo, quod in mea editione Gellii cum annotationibus Petri Mosellani eadem falsa lectio occurrat. Verisimilior videtur eorum opinio, qui existimant, Pandam esse Pacem. Etenim adest non tantum Philoxeni luculentum testimonium in Gloss. Panda,

Ειρήνης *Seés*, sed potest etiam apta ratio dari, cur Pax sit vocata Panda. Ope nimirum Pacis panduntur non solum vrbis portae, sed panditur etiam via ad omne istud, quod felix, bonum, salutare, vtile appellatur. Gentes, vt in multis aliis rebus, ita hic quoque ex sacro fonte non nihil videntur hausisse. Diuini enim scriptores, quod notum est, *Paci* nomine omnem omnino felicitatem, temporalem, spiritualem, aeternam elegantissime comprehendunt. Hebraei optima, prosperrima & perfectissima (שלום enim, *Pax*, descendit a שלם *perfectus* & omnibus numeris absolutus fuit) aliis exoptaturi dicunt: שלום לכם *Pax Vobis!* Eadem formula vsus est Liberator noster, discipulos suos post resurrectionem allocutus: Ειρήνη υμῖν, cum hoc tamen discrimine, vt eius verba non sint merum votum more Iudaico prolatum, sed simul confirmatio resurrectionis & oblatio omnium fructuum, qui inde ad pios redundant. Verum haec nota sunt & a Leighio, Wolfburgio, Papienio ac aliis de vocibus sacris commentatis abunde exposita. Addatur, qui non est in omnium manibus, Martinus de Roa, Cordubensis, in Singularibus S. Scripturae (libro elegantissimo & paucis cognito) P. II. c. 3. p. 155 sqq, vbi occasione verborum Eliaphasi אלהים שלום פי - וירצו, Iob. V. 24. (quae verba p. 127 sq recte παραφράζει: *Scies, quod in domo tua rerum omnium cumulus, bonorum omnium complementum; quod integra, quod salua omnia sint; quod recte gerantur; quod prospere feliciterque succedant*) de Pace multa notatu digna annotauit. Auctores sacros, vti dixi, videntur imitati profani, dum omne istud, quod homini vtile, gratum & iucundum, a Pace deriuarunt. Ειρήνη, inquit Xenophon in Hierone p. m. 577, δοκεῖ μέγα ἀγαθὸν τοῖς ἀνθρώποις *Pax est & existimatur* (ita malim τὸ δοκεῖ, alias eadem significatione occurrens, h. l. interpretari, quam cum Erasmo: *videtur*) magnum bonum hominibus. Et Philemon in Pyrrho ait:

Νῦν ἔυρον ΕΙΡΗΝΗΣ τίν' ᾧ ζεῦ Φίλιππε
 Τῆς ἐπαφροδίτου ἢ Φιλανθρώπου ΘΕΟΥ
 Γόμους, ἐορῆς, συγγενεῖς, παῖδας, φίλους,

Πλούτων, ὑγίαν, σίτον, ὄνον, ἡδονήν
 Αυτὴ δίδωσι

I. e. Nunc bona, quae fini PACIS, inueni, o Iupiter charissime! amabilis illius & humanae DEAE. Nuptias, festos dies, cognatos, liberos, amicos, diuitias, sanitatem, frumentum, vinum, voluptatem illa parit & exhibet. Conf. Nicol. Reusneri Symbol. Imperator. Class. I. p. 79 Diuitias speciatim PACIS ope inprimis acquiri, gentes docere voluerunt statua, quae, teste Pausania in Atticis, apud Athenienses fuit, in qua Pluto (diuitiarum Deus) puer a Pace nutrice est portatus. Vide haec non male interpretantem Natal. Comitem Mytholog. L. II. c. 9. p. 176. Atque propter haec commoda PACEM sine dubio DEAM fecerunt. Etenim non vane forsan conuicio, πολυθεότης gentilium multarum rerum vtilitatem ansam dedisse. Hi enim quando viderunt, hanc vel illam rem cum insigni vsu esse coniunctam, amore erga eam ducti nomen DEI vel DEAE ei indiderunt. Probo hoc, vt alia taceam, solo exemplo MONETAE, cuius cum maximum in vita humana commodum, imo summam necessitatem perspicerent gentes, DEAM illam crearunt, eidemque templum consecrarunt, quod ipsis Calendis Iuniis factum esse tradit Macrobius L. I. Saturnal. c. 12. p. m. 308. Digna est, quae legatur, elegans Dissertatio David. Hoffmanni de Dea Moneta Helmestadii anno superiori edita. Eadem fata habuit PAX, quae a Bacchylide ap. Lect. p. 119 μεγάλη magna, ab aliis καλλις θεῶν pulcherrima Dearum nuncupatur. Comp. Aristophanis citata Comœdia, laudibus DEAE PACIS passim referta. Add. quae Io. Stobaeus in Eclog. Serm. LIII. p. m. 367 edit. Gesner. de Pace ex antiquis auctoribus collegit. In primis illud obseruandum, quod quemadmodum verus DEVS summo iure dicitur AETERNVS, ita gentes DEAM PACEM quoque AETERNAM nuncuparunt. Euincit hoc, vt alia testimonia breuitatis studio non adducam, nummus Gallieni ap. Io. Smetium in Antiquitat. p. 221 sq, in cuius vno latere legitur: IMP. GALLIENVS. AVG. in altero: PAX. AETERNA. AVG. Ipsa Pax habitu muliebri stolata stat, & dextra tollit ramum olivae, sinistra vero hastam puram dimittit, vt ostendatur, Pacis

tem-

tempore arma non esse tollenda sed deponenda. Neque solum splendissimo DEAE nomine fuit honorata PAX, sed magnificentum quoque in honorem eius *Templum* Romae exstructum. Hoc templum ad ipsa Numae Pompilii tempora retulit Clemens Alexandrinus Stromat. L. V. p. 234 edit. Sylb. ὁ μὲν βασιλεὺς Ῥωμαίων Νουμᾶς πρῶτος ἐν θρόνων ἀπάντων πίστεως καὶ εἰρήνης ἱερὸν ἰδρύσατο H. e. Rex Romanorum Numa primus hominum omnium Fidei & Pacis templum statuit. At huic sententiae, praeter alia a Iac. Pamelio in Nott. ad Tertullianum adducta, repugnant haec Tertulliani verba: *Etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris, aut NB. templis res diuina apud Romanos constabat: frugi religio & pauperes ritus & nulla Capitolia certantia coelo, sed temeraria de cespite altaria & vasa adhuc samia &c.* in Apologet. adu. Gentes p. m. 668. Certius itaque auctoritate Suetonii in Vita Vespasiani c. 9: Plinii Hist. Nat. L. XXXVI. c. 15 & aliorum fide dignorum auctorum affirmatur, Vespasianum post insignem victoriam a Iudaeis reportatam exstrui & perfici iussisse templum hoc (iam olim, Dione & Suetonio testibus, a Claudio coeptum) longe splendidissimum. Splendidissimum dico: nam, Iosepho teste de Bello Iudaic. L. VII. c. 24 omnia eo sunt collata, ad quae videnda homines undique conuenerunt, quae Iudaeorum & Iudaici templi maxima erant ornamenta. Comparatur cum Iosepho Hieronymus apud Vossium l. c. p. 763. Plinius praeterea l. c. pulcherrimis operibus, quae vnquam fuerunt, accenset & L. XXXIV. c. 8. XXXV. 10. XXXVI. 5. 7 describit ac laudat picturas, statuas & alia stupore digna, quae in hoc templo fuerunt. Consentit Herodianus, qui L. I. Histor. c. 46. p. m. 37 Templum Pacis sic delineat: μέγιστον καὶ κάλλιστον γενομένου τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων. πλεοναίτατον δὲ ἦν πάντων ἱερῶν δι' ἀσφάλειαν, ἀναθήμασι κεκοσμημένον χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ. ἕκαστος δὲ, ἃ εἶχεν, ἐπέσει ἐθησαυρίζετο. Quae verba Angelus Politianus ita est interpretatus: *Opus sanctorum tota vrbe maximum fuit atque pulcherrimum. Idem templorum omnium opulentissimum, egregieque munitum, multoque*
 θησαυ-

ornatum auro & argento : quippe vniuersi ferme suas illic diuitias quasi in thesaurum congregabant. Vti vero isthaec omnia fuerunt vana , ita in primis vana fuit denominatio , qua templum hoc AETERNVM vocarunt. Patet istud vel ex hac inscriptione a B. Dorscheo in nitido in Epist. Iudae Commentario (vbi occasione ΕΙΡΗΝΗΣ in voto Iudae occurrentis de Pace quaedam eleganter ex antiquitate congeffit, quae mihi nonnulli fuisse vsui non diffiteor) p. 32 ex Aldo repetita :

PACI
AETERNAE DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS AVG.
LIBERORVMQ. EIVS
SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR.
DEDIC. XV. K. DEC.

Etenim opinione celerius igne est absumtum, quod nonnulli recentiores scriptores, antiquorum consensu destituti, euenisse dicunt illa nocte, qua Liberator mundi in lucem editus, quibus Baronius T. I. Annal. an. i. contradixit; Herodianus vero l. c. tempore Commodi accidisse affirmat. Huic non aduersatur Ammianus Marcellinus, dummodo recte eius verba considerentur. Etenim L. XVI. Rer. Gestar. p. m. 132 edit. Vales. scribit, Constantium Romam ingressum inter alia admiranda vidisse, non ipsum Pacis templum, sed *forum Pacis*, i. e. locum, vbi fuit exstructum. Verum de hac re non disceptabimus. Sufficit, quod certo sciamus, Templum hoc esse concrematum & , vt plerique affirmant, fulmine incensum atque deletum. Vnde etiam Procopio L. IV. de Bello Gothic. audit νεῶς κεραινόβλητος, templum fulmine disiectum. Praeter templum *Arae* etiam DEAE PACIS colendae ergo fuisse aedificatas, antiqua monumenta demonstrant. Notum est testimonium Ne-

Nepotis in Timotheo cap. 2, vbi post memoratam egregiam victoriam a Lacedaemoniis obtentam *Quae victoria*, ait, tantae fuit Atticis laetitiae, vt tum primum arae PACI publicae sint factae eique DEAE puluinar (quod super lectos stratos in templis ad simulacra Numinum subleuanda ponebatur, vt obseruat Marcellus Donatus in Scholiis, libro omnibus antiquitatum studiosis exofculando, p. m. 197, vbi erudite de Pulvinaribus Deorum commentatur) sic institutum. Plutarchus alia occasione ab Atheniensibus PACI aram collocatam docet, nimirum cum Callias legatus a Persis conditiones pacis attulisset. φασί δέ, scribit in Cimone p. 487 ed. Francof. 1620. f. κ̄ βαμὸν εἰρήνης διὰ ταῦτα τοὺς Ἀθηναίους ἰδρύσασθαι, κ̄ Καλλιαν τὸν πρεσβέυσαντα τιμῆσαι διαφερίντως. H. e. Aram PACIS quoque hac de causa perhibent Athenienses erexisse, ac Calliam, qui eam legationem obierat, summis decorasse honoribus.

Ouidius quoque Fastor. L. I. sub fin. canit:

Ipsam nos carmen deducit PACIS ad aram.

Nec deerant PACI *Sacrificia*, de quibus multa commemorat Aristophanes l. c., vbi p. m. 943 PAX his verbis, quae non possum non hic exhibere, compellatur:

Ω Σεμνοτάτη βασίλισσα ΘΕΑ

Πότι ΕΙΡΗΝΗ

Δέσποινα χορῶν, δέσποινα γάμων,

Δέξαι θυσίαν τὴν ἡμετέραν.

O summe veneranda regina DEA

Reuerenda PAX

Domina chororum, domina nuptiarum

Accipe sacrificium nostrum.

Tandem etiam mentio facienda *Symboli* siue *Signi*, quae DEA PAX se ab aliis Diis & Deabus distinxit. Constat enim, quod vnique Deo & Deae signum aliquod, Ioui nempe sceptrum, Neptuno tridens, Mercurio caduceus, Plutoni clauis, Cupidini arcus & sagitta, Themidi

)(

midi libra & gladius, Monetae libra, Lucinae dictamnis, aliis aliae res attribuantur. PAX eiusmodi quoque rebus fuit instructa. Nihil dicam de spicis, lauru & rosa eidem assignatis, solam oleam commemoraturus, quae princeps PACIS signum & symbolum esse videtur. Cur autem gentes PACI oleam sacram fecerint, ille facile diuinabit, cui furta gentilium ex diuino codice non sunt ignota. In eo enim folium oliuae per columbam ex arca Noae emissam excerptum (Gen. VIII) signum pacis est & sedatae irae diuiniae. Hanc rem siue audiuerint, siue legerint gentes, oleam PACIS insigne fecerunt. Loca, quibus gentium mos declaratur, ex Virgilio, Liuiio, Polybio & Ouidio collegit Ioan. Bompertius, Gallus, in Parallelis Sacris & Profanis p. 51 sq. Idem Americanis iam olim in usu fuisse, hoc Columbi testimonium in Nauig. c. 103, a Bompertio l. c. p. 52 etiam adductum, docet: *Primo aduentu occurrerunt adolescentulae triginta, quae ramos oliuarum manibus gestabant, & ubi appropinquabant Praefecto, in signum foederis pacisque ramos illi offerebant.* Aliam rationem, cur olea PACIS symbolum electa sit, eandemque medicam affert citatus supra Smetius l. c. p. 222, nimirum, quod fructus oliuae, cuius ramum PAX dextra manu attollis, salutaris est ad sanandum vulnera in bello omnibus inflicta, quam rationem Medicinae periti diiudicent. Huc referenda forsitan sententia Gyraldi, existimantis, aegrotos in templum PACIS fuisse delatos, quem tamen errasse & male Galenum intellexisse, ab Hieron. Mercuriali L. I. Var. Lect. c. 13 est demonstratum. Conf. Vosius l. c. p. 763. Atque haec est DEA PAX, quam nos, qui in ciuitatem Christianam sumus adscripti, gentibus superstitioso ritu, belli in primis tempore, colendam relinquimus, & colimus potius verum DEVM, omnis pacis auctorem, veterum Christianorum Graecorum *μεγάλην συναπτήν*, siue, vt stilo Ecclesiastico vocant, *collectam magnam*, a Iac. Goaro in Eucholog. Graec. p. 766 exhibitam, his difficillimis temporibus pronunciantes:

E

Ἐν εἰρήνῃ ἡ κυρία δεηθῶμεν
 ὑπὲρ τῆς ἀνωθεν εἰρήνης
 ὑπὲρ τῆς εἰρήνης ἡ σύμπαντος
 ὑπὲρ ἡ ἀγίας οἴκου

(Addo: ὑπὲρ ὅλης τῆς πόλεως ταύτης)

ὑπὲρ τῆς ρυθῆναι ἡμᾶς ἀπὸ πάσης θλίψεως.

H. e. *In pace Dominum precemur pro superna pace: pro pace uniuersitatis: pro sancta domo: pro tota ciuitate hac: ut liberemur ab omni afflictione.* Deo enim, clementiae suae luculenta signa non vna danti, vtique debemus hoc officium, ad quod eo magis impellimur, quo praestantior est *Pax*, cuius nos quoque haud ita pridem redditi sumus participes, posteaquam gloriosissimus Imperator

CAROLVS VI pacem,

gesto felicissime & prudentissime cum Turca bello, vtillissimam & gloriosissimam impetrauit. Quemadmodum vero ab antiquis iam temporibus Musarum fuit munus, heroum res bello paceque praeclare gestas describere & laudibus afficere, ita nostrae quoque Musae ab officii religione declinare nefas esse duxerunt. Quare munia haec demandarunt iuueni praeclarae indolis & spei egregiae

Christiano Lipenio,
 Lubecensi,

auti **MARTINI LIPENII** & patris **SIXTI CHRISTIANI LIPENII**, virorum de republica litteraria & nostro etiam Athenaeo bene meritorum haud degeneranti nepoti & filio, qui

Pa-


(12)


Pacem inter **CAROLVM**
VI Imperatorem Augustum
et Turcarum Imperatorem
nuper conciliatam

publica panegyri mirari & celebrare laborabit. Eius causa **VIROS MAGNIFICOS & CONSVLARI DIGNITATE ILLVSTRES, PATRIAE PATRES OPTIMOS:** summe reuerendum & excellentissimum **SACRORVM PRAESVLEM:** nobiliss. consultiss. & experientiss. **SYNDICVM ac DOCTORES:** admodum reuerendos & praeclariss. **SENIOREM, PASTORES & SYMMYSTAS:** nobiliss. generos. ampliss. ac prudentiss. **SENATORES, PROTONOTARIVM** atque **SECRETARIOS,** vt & cunctos Gymnastica iuuenum exercitia calculo digna iudicantes (quibus litteris imbutos & iisdem fauentes **CIVES** utique accenseo) humillime & valde rogo, velint sua nobis honorificentissima & charissima praesentia nostrum Museum publicum dignum habere & vna cum Musis nostris **CARO-**

LO nostro, Caesari forti, felici, semper Augusto acclamare: **VIVAT! VIGEAT! VINCAT!**
P.P. Lubecae d. XXVI. Octobr. MDCCXVIII.







Pacem inter CAROLVM

VI Imperatorem Augustum & Turcarum Imperatorem

nuper conciliatam

egyri mirari & celebrare labora-
 uis VIROS MAGNIFICOS
 & ARI DIGNITATE ILLV-
 STRIAE PATRES OPTIMOS:
 summe & excellentissimum SA-
 CRORVM LEM: nobiliss. consultiss. &
 experientiss. MACDOCTORES: admo-
 dum reuerentiss. SENIOREM, PA-
 STORES & SY nobiliss. generos. am-
 pliss. ac prudentiss. ES, PROTONO-
 TARIVM atque SE OS, vt & cunctos
 Gymnastica iuuenum culo digna iu-
 dicantes (quibus litteris sedem fauen-
 tes CIVES vtique accente & valde
 rogo, velint sua nobis honorifi charissi-
 ma praesentia nostrum Museum gnium
 habere & vna cum Musis nostris

LO nostro, Caesari forti, felici,
 gusto acclamare: VIVAT! VIGEAT! V
 P.P. Lubecae d. XXVI. Octobr. MDCCX

